

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Gesammelte Schriften

Philologische Schriften

**Mommsen, Theodor**

**Berlin, 1909**

XXXIII. Festi codicis quaternionem decimum sextum

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1925)

### XXXIII.

#### Festi codicis quaternionem decimum sextum

denuo edidit

Th. Mommsen.

(Commentatio lecta in academicorum conventu d. 9. Iun. 1864.)\*

Sex. Pompeii Festi de verborum significatione libri XX integri 57 extiterunt non solum saeculo post Christum nono, quo Paulus, sive diaconus is fuit sive alius quispiam,\*\*) eorum epitomen a se confectam dedicavit Carolo regi, sed etiam saeculo undecimo, quo scriptum esse codicem, cuius pars hodie adservatur Neapoli in bibliotheca publica numero ibi signata IV. A. 3, Henricus Keilius testis est (mus. Rhen. nov. 6, 619). Nec post magnum illud naufragium, quod absumpsit litteras Latinas una cum re publica Romana longe plerasque, reliquiae earum maius damnum passi sunt quam quod Festi operis naufragio ipsi superstites tres fere partes paene in ipso portu interierunt; nam vel portio ea quam inde habemus et permulta ex recondita antiquitate sola nobis servavit et Augustae aetatis antiquitatum Romanarum doctrinam unice hodie repraesentat, ut facile inde aestimes, quantam utilitatem integer liber studiis nostris allaturus fuisset. Iam nihil relictum est nisi ut inde servata anxia diligentia colligamus. Quod cum facile perficiatur ibi ubi codex ille

\*) [Philologische u. historische Abhandlungen der Kgl. Akad. d. Wiss. zu Berlin. Aus d. Jahre 1864. Berlin 1865, S. 57—86. Die Ausgabe selbst ist hier nicht wiederholt worden,\* da zu erwarten ist, daß der Ertrag in einer zu erhoffenden Neuausgabe des Festus verwertet werden wird. Dagegen mußten die in solcher Genauigkeit sonst nirgends zu findenden Prolegomena über die handschriftliche Grundlage dieser Blätter sowie einzelne Anmerkungen zu Glossen des Festus abgedruckt werden.]

\*\*) [Den Zweifel an der Identität des Festusepitomators mit dem Geschichtschreiber der Langobarden hat nach dem Vorgang von Waitz in der Ausgabe der Script. rer. Langob. 1878 S. 19 f. Mommsen selbst später gehoben: vgl. N. Arch. d. Ges. f. ält. d. Gesch. 5, 1879, S. 55.]



undecimi saeculi adhuc extat, cum praesertim eos qui apographa saeculo XV confecerunt neque in marginibus ambustis quaternionum hodie superstitem neque in locis evanidis plus vidisse appareat quam hodie ibi cernitur, difficilis res est et periculi plena in codicis eius parte ea, quae periit post litteras renatas. Scilicet infelix fatum, quocum Festi liber luctatus est, ne tum quidem ab eo exagitando destitit, cum reliquias codicis illius c. a. 1480 Manilius Rhallus ex Illyrico detulit Romam. Nam codex integer numerarat quaterniones sedecim, ex quibus ante id tempus perierant septem primi integri, reliqui novem et folia quaedam perdidit et ambusto margine singulorum foliorum paginas alteras fere totas; ex novem autem illis, quot attulit Rhallus, iam rursus desiderantur tres, octavus decimus

58 decimus sextus, in quibus recognoscendis hodie pendemus ex apographis factis saeculo XV exeunte. Quae exempla sane nec plena, utpote destituta fere paginis ambustis, nec satis exacta, sed tamen diligenti examine omnino digna, cum tam praeclari operis non minimam portionem sola servant, cum viderem iacere immerito neglecta et in hac Festi parte viros doctos hodie fere acquiescere in exemplo edito Ursiniano, in bibliothecarum thesauris si quid forte fortuna in manus mihi venit ad Festi illos quaterniones deperditos pertinens, adnotare non neglexi. Iam harum adnotationum specimen publice proponere visum est, quod alios excitaret vel diligentiores vel fortunatiores quam sum ego ad eiusmodi codices investigandos. Nam libri de quibus hic agitur cum sint recentissimi omnes nec per se conspicui et splendidi, plus iusto contemnuntur et facile latent; sperandumque est eiusdem generis plures et fortasse meliöres adhuc superesse quam quos mihi adhuc contigit ut reperirem. Dabo autem hoc loco primum elenchum eorum quos novi librorum scriptorum editorumque, qui ad Festum non epitomatum recensendum aliquam utilitatem habeant; deinde quaternionis decimi sexti reliquias proponam ad ea subsidia castigatas, nam in eo quaternione cum aliquid profecisse mihi videar, ea quae hoc tempore collecta habeo ad quaterniones octavum decimumque, perpauca tantum vere utilia suppeditarunt<sup>1</sup>. Cuius diversitatis causam et originem propediem aperiam.

Manilium Rhallum, de quo et ipso parum constat<sup>2</sup>, Festi librum ex Illyrico a. 1485 vel paullo ante attulisse Romam ad Pomponium

1) Notabile est in codice *R* ante *Pectuscum Palati* p. 213 Muell. legi: SEX. POMPEI FESTI LIBER XIII. Hoc igitur loco coepit l. XV (non XIV), quod accedit ad similes inscriptiones collectas apud Muell. p. XXXI.

2) Aliquam de eo notitiam suppeditat Lil. Greg. Gyraldus in dialogo I de poetis suorum temporum (opp. ed. Lugd. 1696 p. 530). Graecis parentibus in



Laetum principem eius saeculi eruditorum urbanorum constat ex testimoniis Politiani Piique relatis apud Muellerum p. II<sup>1</sup>. Allatum eum esse sine compage quaternionibusque resolutis efficitur cum ex testimonio Politiani narrantis se hunc librum habuisse a Manilio praeter aliquot pagellas a Pomponio Laeto etiamtum retentas et ab hoc sibi exhibitas, tum ex ipsorum exemplorum quae extant con- 59  
dicione: nam cum horum pars omnes illos undecim quaterniones sistat aequabiliter descriptos, infra demonstrabitur librarium eum, a quo venit exemplar codicis Vaticani 2731 similiumque, archetypi non habuisse nisi quaterniones extremos, Politianum autem, qui descripsit et ipse, caruisse quaternionibus octavo nono decimo, contra habuisse utrumque quaternionem postremum hodie una cum octavo decimoque deperditum.\*) Quo posito refellitur coniectura quoque quam de archetypi fati Ursinus protulit adhuc vulgo admissa. Ursinus scilicet Festi quaterniones tres hodie deperditos edidit sub titulo schedarum quae Festi fragmento detractae apud Pomponium Laetum extitissent, aperte Politiani illam narrationem secutus ita, ut codicis Politiani aetate bipertiti partem Manilianam putaret esse sua aetate ut etiam nostra superstitem, partem Pomponianam interim periisse. At coniecturae huic per se probabili obstat exemplum illud Politiani ipsius, unde hunc apparet excussisse quaternionem XVI hodie deperditum, non vidisse quaternionem IX adhuc extantem; ut nullo modo iam defendi possit schedas a Laeto retentas et Politiano monstratas esse quaterniones VIII. X. XVI actumque sit de appellatione quae iam invaluit 'schedarum apud Laetum'. Immo quaternio XVI cum non eodem tempore videatur interiisse quo interierunt octavus decimusque, non mirum est quaternionem hunc utpote a pluribus doctioribusque viris descriptum proponi posse aliquanto emendatiorem quam duos modo dictos. Exempla autem recensebo primum integra, deinde semiplena.

I. Liber Vaticanus 1549 (nobis *R*) chart. saec. XV, quem in parte archetypi deperdita et praeterea in quaternione IX contuli ipse a. 1846. In fine legitur epigramma 'ad lectorem':

Italia natus est et a Leone X episcopatu Cretae ornatus fuitque socius academiae Pontanianae. Velim qui in Italia morantur morabunturve de eo homine certiora aliquando doceant. [Vgl. C. Sathas, *Νεοελληνική Φιλολογία*, Athen 1867, S. 77. Sein Name war Manlios Rhalles Kabakes.]

1) Pium Festi libro usum esse Mediolani, quod scribit Muellerus, ipse Pius minime dicit nec probabile est.

\*) [Vgl. jedoch de Nolhac a. a. O. (unten S. 277\*) S. 147.]



Haec quicunque leges fragmenta novissima Festi,  
 concidet in lachrimas lectio cuncta pias:  
 quod iam Romano defluerit orbita giro  
 et magna careat parte Latinus ager.  
 absumpsit chartas nimium cariota vetustas:  
 si qua igitur menda est, codicis esse patet.

Leidensem librum (Voss. Lat. Oct. 9), quem cum ante aliquot annos  
 inspexissem Leidae (v. mus. Rhen. nov. 16, 137), iam Berolinum ad  
 me misit solita liberalitate optimus Pluygers, descriptum iudico ex  
 Vaticano hoc; nisi quod quae Leidensi corrector intulit mox osten-  
 60 demus aliunde petita esse. — Hoc exemplum qui confecit, omisit  
 paginarum ambustarum glossas omnes paucissimis exceptis, etiam in  
 paginis integris hic illic locos evanidos praeteriit, hiatum tamen  
 plerumque indicans nota *deficit* vel *frag.* Glossas de suo addidit  
 fere nullas nec repertas transposuit. Textus autem non solum vitiiis  
 scatet, sed etiam interpolationibus, maxime ubi glossae aut initio aut  
 fine incidunt in pagellas ambustas. Paulum in his librarius passim  
 adhibuit, sed non ea constantia, qua qui editionem principem curavit.

II. Editio princeps (nobis *E*), quae prodiit Mediolani a. 1510\*)  
 (v. praefatio repetita apud Muellera p. XXXV), facta ad exemplar  
 Io. Bapt. Pii<sup>1</sup>, sed eo absente typis excusa. Ipse Pius in annotationi-  
 bus posterioribus c. 16 conqueritur avocatum se Mediolano Bononiam  
 opus susceptum Festi emendandi perficere non potuisse: *'multa nos  
 ad illustrandum hunc scriptorem contulimus, cum Mediolani doceremus.  
 His quae nobis venerunt ex codice pervetusto et ob hoc fidelissimo, qui  
 ex Illyrico Pomponio Laeto fuerat oblatus, plura additurus eram, ni  
 me Bononiam patriam meam princeps Iohannes Bentivolius praeter  
 spem redire coegisset, dum opus hoc esset sub incude'*. In editione  
 hac conflatae sunt Pauli epitome Festique integri reliquiae, in quibus-  
 dam litteris etiam traditus glossarum ordo temere mutatus, denique  
 pagellae imperfectae plerumque praetermissae. Sed ipsa archetypi  
 verba maiore in universum fide repraesentavit Pius quam qui exaravit  
 codicem *R*, ut deperdito vel latente eius apographo hac editione non  
 sine fructu utamur.

\*) [Vielmehr 1500, vgl. R. Reitzenstein, Verrianae Forschungen, Breslau 1887,  
 S. 98.]

1) Editor Conagus quidam (v. Mueller p. XXXV), qui absentis Pii vices  
 fecit, ad manus habuit praeter exemplum Pii alterum quoque, sed inde nihil  
 sumpsisse se ipse testatur praeter glossam *triumviri* (partem scilicet glossae  
*Saticula* p. 340 Muell., quod non vidisse Muellera l. c. n. 3 miror) et emenda-  
 tiones quasdam in gl. *satis* et *topper*.



III. Fulvius Ursinus in editione a. 1581 (nobis *U*) in hac Festi parte secutus est, ut ait in praefatione, 'doctissimi viri chirographum',\*) quod pariter ac *Pii* hodie aut periit aut latet. Aliis exemplis id non modo emendatius, sed etiam auctius fuisse addit Ursinus recte omnino; ita glossa p. 205, 17: *pretet tremonti praetemunt pe* abest tam ab *R* quam ab *E* neque adhuc inventa est nisi apud solum Ursinum; id ipsum etiam lectiones passim confirmant. Difficile tamen est et anceps de Ursini libro iudicium, cum praesertim quomodo is liber exhibuerit partem Festi hodie superstitem ignoremus. In summa re licet Ursini editio singulis testibus reliquis superior esse soleat, tamen horum consensum equidem pluris fecerim quam 61 singulare Ursini testimonium, estque omnino cavendum, ne huic exemplo utut omnium quae habemus optimo nimium tribuamus. Nam non solum quaedam in eo desiderantur vere Festi in aliis exemplis servata, sed adest etiam interpolatio petita ex Paulo vel potius ex editionibus Festi anterioribus. Illud et notum est (v. Mueller p. VII) et satis illustrabitur glossis quaternionis XVI infra editi; huius interpolationis proponam exemplum satis memorabile glossam *municeps* p. 142. Ea sic legitur in *R*: *Municeps (est add. EU), ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus est; item qui ex alio genere hominum munus functus est; item qui in municipio ex (a E) servitute se liberavit a municipe. At Ser. filius (sic ER, seruilius U) aiebat initio fuisse, qui ea condicione cives (ro. ins. EU) fuissent, ut semper rem publicam separatim a populo Romano haberent (habebant R; uidelicet inserit E), Cumanos Acerranos Atellanos qui aequae FRAG. Haec Paulus loco alieno p. 131 sic reddidit: municeps qui in municipio liber natus est; item qui ex alio genere hominum munus functus est; item qui in municipio a servitute se liberavit a municipe. Item municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem, ut fuerunt Cumani Acerrani Atellani, qui et cives Romani erant et in legione merebant, sed dignitates non capiebant. Ubi media petita videntur esse ex altera glossa Festi *municipium*, cuius compendium legitur apud Muellerum p. 127. At quocumque modo de origine Paulinorum statuemus, hoc certum est Pium Festi Paulique locos ita conflasse ut post Festi verba *municeps . . . a municipe* reciperet Paulina *item municipes . . . muneris partem*, his subiceret Festi *ad Ser. filius . . . . . aequae* adiuncta ex Paulo clausula *cives Romani . . . . . capiebant*; id quod fecit ex instituto suo, ut aliis locis permultis similiter*

\*) [Vgl. M. Voigt, Rh. Mus. 31, 1876, S. 149 ff.]



miscuit Festina et Paulina. At Ursinus dum simpliciter retinet editionum anteriorum lectionem, hoc loco eum chirographum illud expressisse quis credet? confirmantque alii loci non pauci Ursinum non ubivis accurate reddidisse lectionem scriptam, sed passim eam emendasse tacite ad editiones anteriores Pii et Aldi et Augustini.

IV. Liber Vaticanus n. 2731 (nobis *S*) foll. 63 non numeratorum chart. saec. XV. Contulit mea causa Kekulé. Transpositos habet duos locos q. XIII p. 17—25 (a p. 281a 3 *reputia* ad p. 289b 62 1 *non utique* ed. Muellerianae) interpositis inter q. XII, 29 (gl. *quot servi* p. 261) et 31 (gl. *rubidus* p. 262); item q. XV p. 16—25 (a p. 340b 33 *serilla* ad p. 351b 4 *patriae suae puls*) interpositis q. XIV, 1 p. 297 inter gl. *stipem* et *sobrinus*. Deficiunt hodie in principio voluminis q. VIII et maior pars q. IX (nam incipit p. 177a 30 *qui ferro*) deestque item quaternio X totius ita, ut librarius principium undecimi extremo nono continuerit; integer autem liber quid continuerit, non liquet nec tuto statuemus quaternionem decimum ab initio inde afuisse, nam qui hunc librum scripsit cum alia quoque transposuerit, etiam decimum quaternionem in principio deperdito potest collocavisse loco non suo. — Cum hoc libro proxime coniunctae sunt emendationes et additiones *libro Leidensi* supra memorato postea illatae (nobis *Y*), quamquam desumptae sunt non ex ipso Vaticano, sed ex libro simili et subinde pleniore<sup>1</sup>: nam non solum perveniunt ad partem eam quoque quae in Vaticano desideratur, sed etiam in parte, quam habet Vaticanus, corrector Leidensis quaedam adnotat in Vaticano non reperta: ita indicatio infra relata post gl. *tigillum sororium* deesse chartas sex magnas adhuc reperta est in solo libro Leidensi. Exstitit itaque olim exemplum Festi quaterniones quotquot supersunt complexum, unde pendent tam liber Vaticanus (*S*) quam libri Leidensis emendationes (*Y*). At huiusce ipsius exempli origo et condicio sane obscurae sunt et dubitationi obnoxiae, quae ut aliquatenus illustrentur, subicere placuit variam lectionem trium librorum *R S Y* ad litterae T partem adhuc superstitem p. 351. 352. 355. 356 Muell.

Ex p. 351b *RS nihil afferunt, Y f. 71 haec*: Talassionem in nuptiis Varro ait signum lanificii. *talagor.* id est quassillum . . . . . at . . . . . historiarum scriptor ait Talassium militarem virum rapta virgine uncae pudicitiae . . . . quod ei id cognomen (coniugium *marg.*) fuerit felix, item omnis gratia nunc redintegrari. deest, *item f. 71' haec*: Tarentum in

1) Cum glossam *perpetrat* p. 217a 29 a scriba primario Leidensis male habitam secundus librarius ita emendet, ut praescribat: '*in antiquo est*', suspicere hunc vidisse ipsum archetypum; at secus esse constat ex iis quae mox dicentur.



campo Martio locus . . . . . dicendum fuisse quod te . . . . . secularis ditis patris appellatur ab equis quadriga . . . . . utilitas aequiperet. — Tauri ludi instituti dis inferis et fiunt intra muros quos Varro ait vocari Graece de pestilentia.

- Ex p.* 352 *a* *S* nihil affert, *R* haec, quae emendavit *Y*: Tuditantes tundentes, hoc est negotium agentes significare ait Cincius. unde Ennius libro II<sup>o</sup>: nec (haec *Y*) inter se totum tuditantes et Lucretius item li<sup>o</sup> II<sup>o</sup>: nec tuditantia rem cessant (extrinsecus ullam *add.* *Y*). Tudites malleos appellant antiqui a tundendo (. . . us alii cruribus tudites *add.* *Y*). inde Atteius Capito . . . . . existimat M. Tuditano cognomen inditum, quod caput malleoli simile habuerit.
- p. 352 *a* 33 tullos ali (alii) dixerunt *RS*\* p. 355 *a* 1 torridum] torridum et *S* 63  
 ali riuos *om.* *R*, *suppl.* *Y* 4 oportet *om.* *S*  
 nec sem.] ne sem. *S*
- p. 352 *b* 1 uehementis proiectione *S* 5 ennio arrio annio] enio ario  
 3 tulii] tullii *SY*, tullus *R* anio *R*, enio ario anio  
 4 afflantes *R* ennio arrio annio *YS*  
 5 temere] ac mature *YS* 6 adictam (*sic. cod.*)] *S*,  
 8 uolcani] uolcani topper *YS* dictam *R*  
 eodem] eodem carmine neu *S* 7 terinam *S*  
 9 humanus *YS* 8 titientium ramnum *S*  
 mare saeuum] mares eum *YS* 10 in singulis ex eo *R*  
 uiret] uires *RS*\* 11 torro] torreo *S*  
 10 confringent] *YS*, confringere *R* 15 turannos] turrenos *RS*\*  
 12 sese] esse *R* 16 lidorum duce *R*  
 studeat] *YS*, audeat *R* 17 et. pr. crud. *R*  
 15. 16 tē eicit] te eiecit *RS*\* turannos *YS*  
 17 in enni] et enni *S* 18 tyria] tria *S*  
 22 aedis] aedem *R* 22 serrium *S*  
 23 duona] dona *R* maria tria *S*  
 24 inserinuntur] *sic uel* inseruntur *SY*, inseruntur *R* torintas *S*  
 27. 28 ut est apud Pacuvium] 24 toruus] torinis *S*  
 pacuuius *S* 26 confidentia *S*  
 Antiopa] arthiopa *R* 27 nunc] nos *R*  
 uapore] uaporet *R* 29 flaminicarum] flaminice *S*,  
 30 imbribus] *YS*, ignibus *R* haminice *R*\*  
 31 crinibus] cornibus *R* 64  
 33 *inter* ali et fig. lacuna *R*
- p. 355 *b*<sup>1</sup> 1. 2 fictores argeos et tutullatos uideo *R*; fictores et tutullatos uideo *SY*  
 2—4 Tueor defendo et tuor. sed iam promiscue utimur tuor et intuor  
 pro uideo et contuor *S*, *om.* *R*  
 4—6 Tuguria a tecto appellantur et sunt fumo sordida *RS*\*  
 11—16 Tuscum vicum aiunt dictum (d. a. *S*) a Tuscis loco iis (his *S*)  
 dato sub Celio a fratribus Cele et Vibenno qui ad Tarquinium  
 venerunt *RS*\*

1) Ex paginis duabus mancis p. 355 *b*. 356 *a* quae hic praetereuntur, ea omittunt *RS*.



p. 355 b 18—22 Toxicum dicitur cerva. eo solent quidam perungere sagittas. Caelius in Gamo (bamo *R*) ut hominem toxico transegerit. Affranus uxorium istud toxicum *RS\**

22—34 Tuscos quidam dictos aiunt a Tusco Herculis filio. ali quod unici studii sint sacrificandi ex Greco velut *θυσια θυω* ab eadem causa sacrificiorum . . . . . facilem habeat id est *δυσκολον*. Tumulus Gallus Elius sic definit: tumulus est superne editus secundum mare fluctibusue . . . . . uatus unde *et quae sequuntur apud Muellerum (nisi quod pro tumultuarii est tumultuosi) usque ad* quia is ornatur umquam ab Italicis et Gallicis. deest. *S, om. R*

p. 356 a 23 sq. Templata antiqua tesca esse ait cuero aspera difficilia aditu. Ennius: ardua aspera saxa tuos. Tonsillam esse ait Verrius palum dolatum et cuspide preferratum ue existimat dictam cum figi in litore re . . . . . causa. Pacuvius in Medio: accesseram et tonsillam pagi laeto in litore *S, om. R*

34 Tonsam Ennius signifi habent *RS*

p. 356 b 2 poste] post *RS\**

4 reserunt *R*

5 nasota alius] naso talius *S*

13 caede] cederet *R*

15 tonsiles *S*

17 ser. tullium] seruium tullum

*S, tullum R*

20 quoad] quod ad *R*

p. 356 b 20 ius sit] uis sit *Y*

21 fit] sit *S*

22 autem] aut *R*

23 alterum] alterum in *S*

27 claudantur *S*

28 quicquam *S*

29 tagam] tagat *S*

Haec qui examinarit duo intellet diversa, ne dicam contraria: *R* et *SY* pendere quidem ex eodem archetypi codicis exemplo passim interpolato (nam consensus e. c. in glossis *tuguria, Tuscum vicum, Toxicum* explicari aliter non potest), sed eosdem libros ita comparatos 65 esse, ut sese invicem emendent paucisque tantum locis (iis scilicet quos asterisco designavimus) contra archetypum in falsa lectione consentiant, praeterea vero ut *SY* non paucá suppleant ab *R* ommissa. Quarum positionum cum neutra negari possit, aut descendant necesse est tam *R* quam archetypus librorum *SY* ex codicis primarii exemplo deperdito utroque illorum emendatiore et pleniore, aut, quod magis crediderim, vir doctus is a quo proficiscitur recensio codicum *SY*, nactus et exemplum antiquius libri nostri *R* simile et ipsum archetypum codicem talem fere, qualem habuit Politianus, illud ad hunc emendavit et auxit ita, ut locos a primo descriptore iam satis recensitos et expletos raro attingeret. Hoc ut magis statuam, movet me varia lectionis in q. VIII et X condicio a reliqua diversa: nam emendator Leidensis quamquam illos quoque non minore diligentia quam reliquos castigavit, tamen perpauca in his invenit corrigenda et supplenda, quae alicuius sint momenti, integras autem glossas in *R* codice



praeteritas non adiecit nisi inde a principio litterae *S*<sup>1</sup>, ut in quaternionibus VIII et X videatur usus esse apographi ex quo venit *R* exemplo paullo meliore, in quaternionibus autem extremis, maxime in XVI ipso archetypo. Illud verum esse interim mihi credi volo; in q. XVI quomodo differant *R* et *SY*, infra propositum est.

V. Angelum Politianum ipsum archetypum codicem vidisse et descripsisse supra diximus. Ab eo sumptum exemplum postea ad Victorium pervenit, qui id casu invenit in taberna quadam libraria sibi que emit; hodieque Monachi inter libros Victorianos (V. B. 86) extat non ipsum quidem Politiani exemplum, sed quae inde enotavit Victorius ad marginem Festi ab Aldo excusi n. 1513. Librum hunc (nobis *P*) a Muellero iam commemoratum (v. praef. p. III) roganti mihi misit solita comitate vetus et verus amicus Carolus Halmius. Quae emendationes incipiunt p. 217 ed. Muell. inde ab ipso q. XI principio (prima earum est p. 217a 1 *audent* pro *audeat* Aldinae) perveniuntque ad finem q. XVI. Sunt autem optimae vereque Politiano dignae, quamquam et Victorius queritur Politianum scripsisse litteris minutis et per notas magis quam more solito, ut quibusdam locis Victorium magis quam Politianum errasse non immerito conicias, et ipse Victorius calamo usus est non satis bene temperato, denique 66 quod magis dolendum est, aperte Victorius potiora tantum enotavit, ut ex silentio eius de eo quod legit Politianus nullo modo coniectura capi debeat.\*)

Hi sunt libri scripti et editi, qui ad Festi partem hodie deperditam emendandam aliquam utilitatem videntur habere. Editiones autem *Aldi Manutii* (Venetiis 1513) et *Antonii Augustini* (Venetiis 1559) adhibui quidem et hanc interdum citavi nota usus *A*, sed in ipsa recensione utraque abstinendum esse duxi nec laudo consilium Muelleri, qui editione principe neglecta praeter Ursinianam consuluit solam Augustinianam vel, ut eam appellare solet, vulgatam. Nam scriptis quidem libris tam Aldus quam Augustinus usi sunt, sed Augustinus codice Achillis Maffei, qui Festum Paulumque exhiberet in unum corpus conflatos, ductus omnino ex libro *R* nostri simili et iure spernendus. De Aldi libro accuratius non constat, sed nequa-

1) Certe in libro Leidensi emendator glossas integras addere coepit demum inde a p. 290 Muell. primaque earum est haec: *S niriio significat in carmine . . . . . augurali sonanti . . . . .* Nec aliter puto esse in libro Vat. 2731.

\*) [Die Originalhandschrift des Politianus ist inzwischen von P. de Nolhae in einem aus der Bibliothek des Fulvius Ursinus stammenden cod. Vaticanus gefunden worden: vgl. Nolhaes Mitteilung in der Revue de phil. 10, 1886, S. 145 ff.]



quam insignem eum fuisse ipsa editio comprobat praeterea more sueto sescentis locis non ex libro scripto, sed ex coniectura temere aut correcta aut corrupta. Unum adnotabo glossas duas has (p. 372 Muell.):

Vehere portare vel trahere.

Veredis (*scr.* veredos) antiqui dixerunt, quod veherent rhedas, id est ducerent.

in nullo ex libris meis repertas primum legi in Aldina a. 1513 et quidem sub finem litterae V insertas inter glossas *verniser* et *veruta*, quae sunt extremae duae editionis Pii in parte eius Paulina. Earum alteram monuit me Hauptius totidem verbis redire apud Isidorum 12, 1, 55, apud quem 20, 14, 13 inter alia legitur etiam: *vehere, id est exportare*: Festi neutram esse patet.\*)

- 85 Festus p. 78 Momms. [p. 371 Müll.]: *vectigal aes appellatur quod ob tributum et stipendium et aes equestre et hordiarium populo debetur.*

[Dazu Anmerkung Mommsens p. 85:] Ita locus iam sanatus est ope librorum ipsorum (v. Mueller p. 413), nec temptanda sunt verba *ob tributum*, pro quibus *praeter tributum* proposuit Husehkius. Scilicet tributum cum ita imponatur civibus, ut postea iisdem ex aerario reddatur, recte omnino dici potest vectigalia ideo solvi, ut populus tributum iis qui tribuerunt rependat. [Vgl. Staatsrecht 3 S. 228, 4. 256, 4.]

Festus p. 78 Momms. [p. 371 Müll.]: *viae sunt et publicae et privatae: publicae per quas ire omnibus licet, privatae quibus nemini et hae VIII pedes in latitudine iure et lege publicae quantum ratio utilitatis permittit. lex\*\*) iubet XVI XVque pedes esse vias ut qui vias muniunt onisandi lapidas\*\*\*) qua volet iumento agito.*

[Dazu Anmerkung Mommsens p. 85 f.:] Quae hoc loco referuntur de viis, ea nunc intellegimus desumpta esse ex XII tabulis, id quod confirmant loci Gai (Dig. 8, 3, 8): 'Viae latitudo ex lege duodecim tabularum in porrectum octo pedes habet, in anfractum, id est ubi flexum est, sedecim' et Varronis (de l. Lat. 7, 15): 'anfractum est flexum . . . ab eo leges iubent in directo pedum VIII esse, in anfracto XVI, id est in flexu'. Festi autem verba quamquam et caecis lacunis obscurata et interpolatione contaminata tamen ad sententiam certe sic fere restituenda erunt: *Viae sunt et publicae, per [quas ire ager]e omnibus licet, et privatae, quibus neminem*

\*) [Es folgen auf S. 66—84 die Ausgabe, dann auf S. 85—86 Bemerkungen zu einzelnen Glossen des Festus. Von diesen Bemerkungen sind einige im oben folgenden Text wieder abgedruckt worden.]

\*\*) [Leg. XII tab., VII 7 Schoell.]

\*\*\*) [So der cod. Vatic. 2731 und der Leidensis, *onisandi lapidas* Politianus, *dionisam lapides* Ursinus.]



uti [ius est] praeter quorum sunt. et ita privatae VIII pedes in latitudine [habent] iure et lege, publicae, quantum ratio utilitatis permittit. [praeterea] lex iubet XVI [in anfractu] flexuque pedes [latas] esse vias, ut [adiciat:] vias muniunto. nisi sam delapidas[sint], qua volet iumento agito. Publicas vias tantae latitudinis esse, quantam ratio utilitatis permittat, illustrabunt ea, quae ex libris coloniarum in gromaticorum volumine II p. 161 de 86 viarum militarium latitudine composui. In extrema parte ipsa illa verba legis latere, quorum argumentum Cicero (pro Caec. 19, 54) reddit his verbis: 'si via sit immunita, (lex) iubet qua velit agere iumentum' iam Huschkus vidit (v. apud Muellerum p. 414) nec tamen verba illa recuperavit: equidem quae posui, ea certe et ad vestigia traditae lectionis proxime accedunt et sententiam habent rectam et simplicem. Sam vocabulum pro eo quod est *eam* cum vel apud Ennium reperiatur, non abhorrebit a legibus XII tabularum:\*) delapidandi vero vel sola depalandi analogia satis tuebitur.

Festus p. 80 Momms. [p. 372 Müll.]: *vecors est turbati ac mali cordis. Pacuvius in Iliona: 'paelici supersticiosae cum vecordi coniuge'. et Novius in Hercule coactore: 'Tristimoniam ex animo deturbat et vecordiam'.*

[Dazu Anmerkung Mommsens p. 86:] Spero fore ut lectoris non ingrati accidant versus hi duo elegantissimi adhuc misere corrupti\*\*) (Ribbeck Pacuv. 216; Novius 102. 103 [40<sup>1</sup> p. 315 der 3. Aufl.]), iam vero pristino nitori restituti, item nova fabula et sane bella Herculis lucrorum ita potentis, ut ipse auctionem faciat et bonis divenditis summas redigat.

\*) [Vgl. F. Skutsch in: *Iḗgas* (Festschr. f. A. Fick, Göttingen 1903) S. 144 f.]

\*\*) [Müller hatte die Worte so herausgegeben: *vecors est turbati ac mali cordis. Pacuvius in Iliona: 'Qui veloci † superstitione cum vecordi coniuge'. et Novius in . . . 'coactus tristimoniam ex animo deturbat et vecordiam'.*]